



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. VIII. Romana elevationis muri. De eadem materia utendi muro communi divisorio, illumque altius elevandi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

# ROMANA ELEVATIONIS MVRI

PRO  
FRANCISCO ET MAURITIO  
DE ASTE

CVM

N. PROCACCINO.

*Casus disputatus coram Magistris viarum, incertus est exitus.*

De eadem materia utendi muro communi  
divisorio, illūque altius elevandi.

## SVMMARIVM.

1. **A**N in muro non destinato ad ædificium, in quo de jure adificari non potest, id liceat ex Constitutione Gregoriana vel statuto.
2. Quomodo Constitutio Gregoriana remaneat operativa sine correctione juris communis.
3. Quando periti deferendum sit nec ne circa observantiam.
4. Traditur intellectus ad dictam Constitutionem, ut sit juris correctoria, ubi urget ratio publici ornatus.
5. Videtur remissum arbitrio Iudicis praxi & observantia dicta Constitutionis.

## DISC. VIII.

**E**Xorta inter dictas partes in Tribunali Camerarii & Ædiliū controversia super usu muri communis, quem non dubitabatur esse simpliciter divisorium non aptum nec destinatum ad ædificium; Cum attentis terminis juris communis, certum esset fundatam esse intentionem illorum de Aste prohibentium, dum nulla justa vel urgens causa concurrebat, ex qua recessus à regula resultaret, sed consistebat difficultas statibus *Statuto Vrbi 107. & Constitutione 22. Gregorij XIII.* continente verbum generale *quovis*, & super cuius observantia generali, etiam in muris simpliciter divisorii testabantur periti, ac tanquam absolutum supponere solent Magistris viarum, eorumque notarii & ministri.

Quoad statutum, pro illis de Aste scribens, deducebam auctoritatem *Fenzonij ibidem num. 3.* firmantis illud recipere debere passivam interpretationem à jure communi, ideoque intelligendum esse de muro destinato & apto ad ædificandum; Nil obstante quod aliàs superflua esset ejus dispositio, dum illa juris communis assistit, quia ex deductis in *Pisauren, muri disc. 6. & in aliis hoc tit.* constat hujusmodi punctum esse apud DD. satis controversum & involutum, undè ad quascumque Doctorum controversias removendas prudenter dici potest illud emanasse, quod propterea remanet cum sua operatione, quæ quantumvis modica sufficit ad tollendum superfluitatis argumentum, quod tam in actibus inter vivos, quam in ultimis voluntatibus leve reputari solet, ac cessare dicitur quoties ex dispositione saltem resultat major declaratio, quia superflua censenda non sunt, quæ gratia melioris declarationis disponuntur, ut apud *Coccin. dec. 224. Ostobon. dec. 244. num. 24.* & sæpè præsertim *sub tit. de locato disc. 1.*

Major difficultas in proposito esse videbatur attempta *Constitutione Gregorij XIII.* sed pariter illam intelligendam esse ad iunctis juris communis, & cum

dicta distinctione, probari dicebam per bonum text. in *l. ut gradatim ff. de muneribus & oneribus, ubi DD. de quibus Barbof. distion. 317. num. 12 & 13.* Et in terminis hujusmodi statutorum *Carpan. & ceteri per Cyriac. controuv. 460. num. 11.* Præsertim quia clarius cessabat argumentum superfluitatis ob alteram operationem, cuius ratione verbum generale *quovis*, rectè verificatur, nedum in muris communibus, sed etiam in muris ad unum tantum spectantibus, quibus etiam vicinus contra juris dispositionem uti potest invito Domino soluto pretio usus seu appodii; Ideoque dum una correctio seu exorbitantia resultabat, ad alteram inferendum non erat, quia jurium correctiones multiplicandæ non sunt.

Et quoad observantiam, de qua periti testabantur, respondet in specie *Cyriac. dicta controuv. 460. nu. 2.2. cum seq.* ut ea scilicet probari debeat cum debitis requisitis, illo præsertim, quod partibus opponentibus ita in contradictorio iudicio judicatum fuerit, quia sæpè hujusmodi artifices & periti solent de proprio capite ac juxta eorum crudelitatem judicare & loqui, quotidie experimur, cumque agatur de materia concernente decisoria perfecta probatio cum omnibus requisitis exigi videtur.

Clarius autem in propoſita facti specie observabam dictam Constitutionem adaptari non posse ad murum controversum, quia cum illa emanaverit ex ratione publici ornatus, ob quam tolerabilis est juris exorbitantia ob publicum favorem exinde resultantem, ista ratio in præſenti cessabat, quia tractabatur de ædificio à parte interiori, ex qua nullus publicus ornatus resultabat; Si enim eadem Constitutio disponens de retractu coactivo locum non habet in ædificio construendo, à parte retro tanquam carente ratione ornatus, ob quam Constitutio emanavit juxta celebre *consil. Ioannis Aldobrandini* passim receptum in Curia, ita & fortius in præſenti, Atque ita dicebam conciliari posse peritorum attestaciones super observantia etiam in muris divisorijs, ut scilicet intelligendæ sint, quoties ex ædificio resultare potest publicus ornatus juxta sensum & rationem Constitutionis.

Causa non fuit judicialiter sopita, quia ædificare volens alteram partem domus emit; Mihi autem ad veritatem reflectenti videbatur hujusmodi questionem super intelligentia dicta Constitutionis Gregorij, decidendam esse prudentis iudicis arbitrio ex particularibus facti circumstantijs, an scilicet concurreret ratio publici ornatus, vel aliqua alia justa causa, quæ ædificantem rationabiliter impelleret juxta ponderata per *Rouit dec. 30.* ut tunc potior sit conditio ædificantis, ea vero cessante potior esse debeat illa prohibentis, quia regulariter construendo partes murum in forma simplicis divisorij illum etiam perficiendo cum merlis vel cum extremitate, quæ vulgò dici solet *ad dorsum asini*, ita ex tacita quadam conventionem sibi invicem mutuo consensu constituisse videntur servitum altius non tollendi, sed in communione permanendi in eo statu, nisi nova justa causa superveniat, ob quam ex regula ut quælibet conventio censeatur rebus in eodem statu permanentibus, licitum sit ab hujusmodi tacita societate recedere, nam aliàs nimia videretur dictæ Constitutionis exorbitantia.

\*\*\*